Lucas Jos.

Orminski Thomae Franc. Parascenium lucti

tiosum.

PARASCENIVM LVCTVOSVM,

IN

Clarissimo olim ac Excellentissimo Domino,

M. LVCA IOSEPHO OSTAWSKI,

Philosophiæ Doctore, Collega Minore, Ordinario Astrologiæ ex eadem Domo Professore.

DVM EI

In Ecclesia Collegiata S. ANNÆ,

Iusta Parentalia persoluerentur,

A

M. THOMA FRANCISCO ORMINSKI,

Philosophiæ Doctore & Professore

dolentis calami obsequio

Aeternitati

CONSECRATVM.

Anno Domini 1688. Die 20. Nouembris.

CRACOVIÆ,

Ex Officina Francisci Cezary, S.R.M. Illustriss. ac Rndiss. Dni. Episcopi Crac: Ducis Seueriæ. Necnon Schol. Nouoduorsc. Typogr.

PARASCENIVM LVCTVOSVM.

MAturate gradum, quotquot ſpectacula rerum
Triſtia noſſe iuuat, pia figite lumina, pandam:
Nona pruinoſi iam lux erat orta Nouembris
Poſt decimam, Solem caudâq; venenifer vncâ
Scorpius attigerat, Mauors cum falce potenti
Leucadio, vires rabidas quoq; iunxerat atrox;
Blanda quies quando mortalibus incipit ægris,
Cuiq; ſopore caput curis componere feſſum
Implicat haud, ecce ante oculos verſarier vmbras
Horrendas cerno, inſtat plurima mortis imago
Vndiq; ; mox ſtupui, geliduſq; per ima cucurrit
Oſſa tremor, quæ fert mala nox, quæ plena pauoris
Ipſe timens agito, mentis vix compos, adeſſe
Ni iam fata mihi patiantur ſidera; ſed me
Collegi poſtquam, videor ſpecioſa locorum
Ingreſſus, nemus vmbriferum ſurgebat in altum
Arboribus patulis exultans, Laurea Phœbo,
Populus Alcidæ gratiſſima, vitis Iacho,
Cyprida Myrtus amat formoſam, Oleæq; Mineruam,
Fonte cadit modico, gratus conuallibus amnis,
Agminis aligeri, tenerum melos occupat aures.
Talibus intentus, quæ ſint ea munera Diuum,
Illudne Elyſium, ſunt aut hæc Theſſala Tempe,
Pectore ſolicito dùm verſo, attolitur ingens
Cum fremitu fragor aſtra petens: aſt vnde reſultet
Incertum? mora nulla data eſt, cum perſonat Echo,
Clariſonas imo fudiſſe è pectore voces
Non longè aſtantes: ruit alto à culmine Laurus,
Quâ ſolita eſt redimire viri Tritonia Virgo
Tempora cuiuſdam, veterum decreta Sororum
Ferrea qui ſubijt, cui ſuffeciſſe coronas
Eſt viſum binas mundo, manet vltima cælo;
Ite procul virides Lauri, mæſtæq; Cupreſſi

Vos

Vos ferale decus, contendite cingere postes
Extincti! quæ dicta mihi incussere dolorem
Haud dubium, licet ignorem quo nomine gaudet
Quem memorant. Sed fama volans prænuncia tanti
Luctus, iam plures rumore impleuerat aures.
Heîc vbi pro Cracijs erecta palatia Musis
Assurgunt & perpetuans Sapientia regnat,
Præproperis fatis ereptum, turba Virorum
Doctorum LVCAM OSTAVIVM completa dolore
Ingeminat, tempestas nostra laboribus vllis
Nouerat infractum quem, (mens nisi leua fuisset
Fatorum ah nouisset longum!) flore salutis
In medio, maturæ ceu si cuncta senectæ
Arbitrio faceret, per tendens ardua quæuis
In Studiorum & Virtutum sublimia, natus
Indolis egregiæ locuples, molimina rerum
Magnarum acturus: primæ laudata iuuentæ
Cum prætexta abijt, fretus maioribus annis,
Dotibus ingenuis & doctâ mente decorus
Vt prendat meritas, sapientum præmia, Laurus,
Maiorum monitis inducitur, atq; prehendit
Omine cum fausto, quia Numine suppeditante
Cælesti, sua Cui, tùm seq; sacrauerat idem:
Incepit valido ingentes iam pectore curas
Voluere, queîs medijs Academi nomine diues,
Esset re, validos oneri donare lacertos
Spontè ratus iustum esse. proin LVBRANSCIA quo se
Gloria protendit præcellens inclyta famâ
Tendit, Musarum panditq; oracula Phœbi
Mentibus excelsis instillans diuite venâ
Dogmata Sacra Pöetarum; sed Tullius alto
Conueniens vatem dulcis, de vertice montis
Gorgonei reuocat, Suadæ iucunda tonantis
Offert rostra, satis nam respondere paratum
Et certare parem offendit; nec vana fuêre
Auguria hæc, cathedris quoties nam constitit, instar
Argolici visus resonare est ore Periclis,
In causa sed Diuorum, qui STANESILAVM
Cuius præclarum celebrat Casimiria nomen

 Eloquio

Eloquio dulci veneratus: DIVVS AQVINAS
Angelicus Doctor, clarissima Cynthia mundo, hoc
Oratore stetit, victuris credita chartis,
Auspicijs sub flammiuomi prolata Leonis
WOIENII: fluitat felix OPALENIA nauis
Elogiis huius solennibus orbe Polono;
Si Logicæ laqueos & cæca Sophismata solui
Expedit? hic facilis, victor semperq; triumphat:
Seu bona seu mala sint nobis quæ sidera monstrant,
Omnia ceu sapiens arcanâ mente resoluit,
A cuius nutu visa est pendere Mathesis
Interiora eius penetrat mysteria quando.
Exactâ sed iam totâ trieceride Posnæ,
Ad Cracias votis Maiorum appellere Musas
Instituit, Staringelij quæ mens pia struxit
Tecta regenda capit, queîs Phœbi docta iuuenta
Conditur, & promit dignas virtutibus Artes.
Panditur interea domus exornata Virorum
Ipsa licet minor at Magnorum mentibus altis
Excellens & confratrem dignatur amore
Concordi, cætus pulcher lætantur ouantes,
Astra virum sibi quod tantum benefida dedêre,
Artibus ingenuis Pallas quem Diua beauit
Ad decus omne sibi, expoliendaq; pura studentûm
Pectora. Sed Promotorem mox publica poscunt
Rostra, nouos Academiæ qui præstet Alumnos
Arce coronandos IAGELONIS, quâ ore diserto
Illius, in quadro Sapientum vrbs fixa, triumphum
Egit: nec nimium post longè oblata secunda
Laurea præclaris operâ concesserat eius
Verticibus, sed Funiculo triplici decorata
Virtutis, Doctrinæ, præduriq; laboris
Trinum perfectum in tàm docta mente manere
Conclusit. Placuit superis perfectio tanta,
Assensere omnes, dignus qui scandat olympum
Dixerunt. Et iam fatalia stamina Parcæ
Ruperunt. Cælos petijt, quid fletis amici?
Cælicolis mæsti deuotos reddite manes,
Nam fuit Astrorum cultor dignissimus Astris.